



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt IV. De Moralitate Actvum Hvmanorvm Eorvmqve Regvla Proxima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

minorem. Si adest cognitio representans simul cum amabilitate objecti directi, aliquam rationem mali, absterrentem ab intensione ut quinque, concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, tunc adest actum positivum, quo dico: *nolo me nimium intendere*. Si verò non adest talis cognitio de difficultate intensionis, prout vel nunquam vel raro adest, tunc nego maiorem & ejus hypothesein, ac dico voluntatem tunc elicituram intensionem ut quinque, quia posito quodd se solvat in prosecutionem objecti, toto impetu quo vigore cognitionis potest, fertur in illud.

Eodem modo solvitur aliud argumentum de omissione actus imperantis reflexi. Respondetur enim, quodd quando non adest cognitio sufficiens ad imperium, non omittatur liberè, sed necessariò: quando autem adest cognitio sufficiens, tunc vel elicitur actus imperans cum imperato, vel elicitur notitia actus imperati, juxta dicta paulò superius de actu imperante & imperato.

☉(0)☉

C A P V T IV.

DE MORALITATE ACTVVM HVMANORVM, EORVMQUE REGVLA PROXIMA.

230. **A**ctus Moralis est actus voluntatis liber, elicitus cum advertentia rationis ad aliquam primam & universalem regulam nostrorum actuum, in ordine ad ultimum nostrum finem; hoc est: cum advertentia ad regulam vel precipientem, vel consulentem, vel permittentem, vel prohibentem.

Hinc facile resolvitur quaestio, utrum moralitas sit forma distincta ab omni entitate physica. Fuerunt enim, qui putarent non posse aliter explicari divisionem actus in actum physicum & moralem, nisi dicatur, moralitatem consistere in aliquo non physico, vel certe aliquid illi superaddere non physicum, adeoque consistere in Ente rationis.

231. Verum hæc sententia cum pluribus similibus philosophicis, jam est antiquata. Cum enim hujus ipsius entis rationis fundamentum assignandum sit, convertibile cum illo, & quod in actu physico non reperiatur, jam habetur antecedenter ad omne ens rationis diversificatio actus moralis à physico: quid ergo superaddendum est Enti rationis?

232. Discrimen autem inter actum physicum & moralem jam est indicatum. Discrepant enim merè per considerationem extrinsecam: quatenus enim actus consideratur secundum se, substat considerationi physicae, quatenus consideratur in ordine ad dictamen rationis, & ut conferens ad ultimum finem, vel ab eo abducens, substat considerationi morali.

233. Duplex autem datur regula nostrorum actuum, proxima, & remota. Regula proxima est ipsum dictamen rationis practicum, quo judicamus, ex gr. *mentiri esse inhonestum, subvenire egeno esse honestum*. Regula remota est ipsa moralitas objectiva; & est sita in ipso objecto volibili quotali, neque enim mendacium est inhonestum,

quia ratio dicitur, sed e contra, ideo ratio dicitur esse inhonestum, quia à parte rei, nemine affimante, inhonestum est. Itaque dictamen rationis est quasi applicatio objectivæ moralitatis; ac proinde fundamentalis seu prima regula omnis moralitatis existit in objecto illius dictaminis, indeque dictamen vocatur *Regula proxima*, Moralitas verò objectiva vocatur *Regula Remota seu prima*. Vtraque Regula pluribus examinanda est. Incipiendum à Regula proxima, quæ vocatur *Conscientia*, ad quam discutiendam non prerequisite accurata & metaphysica notitia regule remotæ, sed interea sufficit notitia quadam vulgaris, quam omnes facile habent.

CONTROVERSIA I.

An dictamen practicum possit esse erroneum, vel inevidens.

Quæritur, an aliquod dictamen erroneum possit esse proxima Regula actus boni moralis.

234. Communis est sententia negativa. P. Granadus *contr. 2. rr. 12. d. 3. s. 4.* assentit quidem probabile esse, semper intervenire, saltem virtualiter, judicium evidens, quando homo bene operatur, non loquitur tamen satis universaliter, sed tantum de actu bono. Cardinalis de Lugo *disput. 10. de fide. s. 2. n. 28.* supponit communem sententiam ut certam. *Non peccatur*, inquit, *sine cognitione evidenti obligationis*, vel certè obligationis inquirendi. P. Martinus Esparza *q. 22. in fine*, sic habet. *Ultimum dictamen conscientie semper est evidens, & evidens conforme voluntati divinae, nec potest illi subesse falsum, uti clarius apparebit in duplici questione sequenti.* Verum lectis & relectis sequentibus questionibus, non invenio maiorem declarationem, sed semper

semper idipsum supponi. Card. Pallavicinus magis ex professo tractat. d. 9. q. 4. a. 1. Omitto citare P. Franciscum Bardi, & quosdam alios morales Theologos.

235. DICO 1. Judicium etroneum & invincibile, potest quidem inducere obligationem, sed non regulare proximè & immediatè actum bonum, neque actus subsequens malus ideo erit malus, quia est illi difformis, sed iudicium proximum semper debet esse verum.

236. Prima pars declaratur. Si ex invincibili errore iudico ex. gr. comestionem carnis fuisse esse contra legem Dei, & hoc iudicio non obstante comedo, dicendo: *volo comedere suillam, non obstante eius prohibitione*. Certum est, talem actum esse malum. Ratio est, quia actus voluntatis accipit suam bonitatem & malitiam ab objecto non prout illud est in se & realiter, sed prout est in nostro intellectu & intentionaliter. Unde non minus laudaretur ille, qui inculpabiliter iudicans, honestum esse eruere sibi physice oculum ad cavendum scandalum, eruere, quam laudaretur, si reverà objectivè hoc ipsum honestum esset.

Hinc etiam est, quod sublato deinde errore; adhuc conscientia nos redarguat, vt experientia docet. Probatur jam secunda pars Conclusionis. 1. Repugnat, actum esse conformem suæ regulæ, seu cognitioni regulanti, & tamen non esse honestum: ergo repugnat iudicium dicens: *esse hic & nunc honestum comedere carnes*, esse falsum. Probatur Consequentia. Si enim est falsum, ideo erit falsum, quia actus regulatus quem affirmat esse honestum, non est honestus: atqui repugnat enim non esse honestum, quem dictamen regulans dicit esse honestum, cum sit essentialiter conformis suæ regulæ: ergo repugnat iudicium proximè dirigens actum esse falsum.

237. Probatur 2. Dictamen practicum debet esse actus Prudentiæ, vt omnes supponunt ex Aristotele 6. Eth. c. 2. docente, & rationem veram, & appetitum rectum esse oportere, vt operatio sit studiosa: & ibidem sæpe docet, nullum actum posse esse bonum sine prudentia: atqui actus Prudentiæ semper est verus. Ergo. Hoc argumentum facile jam applicatur actui malo. Nam impossibile est me agere malè, quin tunc, in sensu diviso, possem agere benè, quia liberè ago malè. Sed non possem agere benè, nisi adesset dictamen Prudentiæ: ergo nunquam possum agere malè, quin adsit dictamen Prudentiæ cui contrarietur actus malus. Subsumo: atqui omnis actus prudentiæ est actus verus: est enim actus virtutis intellectualis. Ergo &c.

238. DICO 2. Regula proxima actus moralis debet esse evidens & infallibilis, & quidem evidentià metaphysicā. Probatur. Dictamen ultimum, debet esse actus Prudentiæ propriè dictus: sed omnis actus Prudentiæ est metaphysicè evidens. Ergo. Minor probatur: quia actus Prudentiæ directivus est actus nullum præ-

supponens imperium voluntatis, alioquin abundum esset in infinitum: ergo debet determinatio provenire ab objecto. ergo huiusmodi actus hocipso est metaphysicè evidens.

239. Probatur 2. Est ex terminis evidens, quod qui actu conatur, quantum potest, operando placere Deo, hocipso non displiceat Deo: seu quod idem est, qui actu conatur quantum potest operari honestè, hocipso operetur honestè, & consequenter est etiam ex terminis evidens, quod qui in se experitur huiusmodi conatum operandi honestè quantum potest, hocipso non possit formidare, an non fortassis operetur inhonestè: atqui si dictamen proximum conscientia posset esse inevidens, posset simul stare huiusmodi conatus operandi honestè, & tamen operatio non esse honesta: item posset simul stare experientia de tali conatu, & formido de honestate operationis. Ergo &c. Minor probatur: nam iudicium proximè dirigens si non est evidens, potest stare cum hoc actu: Fortè hic & nunc sic operando non operor honestè, cum tamen hic & nunc non sit in mea potestate habere aliud iudicium evidens nisi de honestate actus. Ad has probationes reducendæ sunt quædam aliæ Recentiorum, alioquin nihil probant, & pluralitate verborum rem claram involvunt & obscurant.

240. Obijcitur 1. Certum est, de multis objectis cum magna vtrunque probabilitate contrarietate inter Doctores, sintne licita necne: Certum item est, me tunc honestè posse alteram ex illis opinionibus sequi, saltem illam quæ est probabilior, aut æquè probabilis, saltem extrinsecè; atqui sic operando nullum habeo iudicium evidens de honestate operationis, sed tantum probabile. ergo proximum dictamen potest aliquando non esse evidens, sed tantum probabile. Respondent aliqui cum P. Francisco Bardi, distinguendum esse inter honestatem objecti, & inter honestatem operationis liberæ: concedunt ergo circa honestatem objecti versari posse iudicium probabile, sed circa honestatem operationis iudicium semper esse evidens. Verum hæc distinctio, nisi aliter explicetur, non subsistit. Nam honestas objecti non potest præscindi ab honestate operationis, cum sit denominatio desumpta ab operatione, vel certè per ordinem ad operationem sit explicanda: esse enim honestam comestionem carnis, formalissimè idem est, ac: posse honestè aliquem velle comedere carnes. Itaque ad objectionem

241. R. Negando minorem: tunc enim illud iudicium directum de honestate operationis, considerata secundum intrinseca principia, non est dictamen proximè dirigens actum, & respectivè vocatur melius, *dictamen specularium*, potestque simpliciter esse falsum (juxta ea quæ dicturi sumus infra, de Regula moralitatis objectivæ) & tamen fundare actum voluntatis honestum, quia fundat aliud dictamen evidens, & formaliter vel virtualiter hic syllogismus.

Vnusquis-

Vnusquisque facit licitè id, quod vel ex intrinsecis principiis, vel ob aliorum auctoritatem iudicat probabilius licere, etiam si oppositum etiam sit probabile: sed ego hîc & nunc iudico ex intrinsecis principiis &c. Licitum esse comedere carnes suillas: ergo hîc & nunc licet mihi comedere carnes suillas. Major est evidens, tum ob rationes allatas, tum ob dicenda paulò post, circa opinionis probabilis usum, ubi hæc reflexio magis explicabitur. Minor est etiam evidens, quia cadit supra propriam experientiam.

242. Objicitur 2. Ex nostra conclusione sequitur, nunquam peccari cum defectu plenæ deliberationis, seu semideliberatè: hoc autem est contra omnes Theologos, excusantes multa à peccatis mortalibus propter semideliberationem, & tamen volentes committi peccata venialia. Sequela verò probatur. Nam ubi habetur evidentia metaphysica, est plena deliberatio. atqui per nos semper habetur evidentia metaphysica: ergo & plena deliberatio. R. Nullum dari actum moralem, qui non sit plenè deliberatus in ordine ad aliquod prædicatum objecti, ut etiam notavit Card. Pallavicinus: *libello de fide* n. 129. omnis enim cognitio repræsentans unum confusè, repræsentat aliud clarè. Quando ergo fit peccatum veniale ex defectu plenæ deliberationis, hoc inde est, quia *inhonestas* ut sic repræsentatur evidenter, non item gradus inhonestatis. Quidam RR. ajunt, hanc semiplenam deliberationem provenire ex eo, quod vehementia passionis impedit efficaciam evidentiae. Sed hæc Responsio non placet, quia passio non aliter potest impedire evidentiam de malitia gravi, ut peccatum subsequens non sit grave, nisi omnino impediendo evidentiam de malitia gravi, & relinquendo evidentiam de malitia non gravi.

CONTROVERSIA II.

Quid requiratur & sufficiat ad Theologicam Probabilitatem opinionis.

243. Dicendum est, ad probabilitatem opinionis practicæ, requiri fundamentum positivum magni momenti, non tantum consideratum secundum se, sed etiam respectivè, ita ut adhuc virum doctum & prudentem ac timoratum movere possit, non obstantibus motivis contrariis defacto occurrentibus. Probatur à paritate. Hæretici formales habent sæpe motivum aliquod sui erroris, quod secundum se solum spectatum, quandoque esset magni momenti; quia tamen fundamentis contrariis, altiore principio, divinâ videlicet revelatione nixis, penitus enervantur, ut nullius prudentis assensum mereantur, ideo opinio hæretica vocatur simpliciter improbabilis. Simile quid contingere posset in materia morali.

244. Hinc colligitur, fieri posse, ut aliqua opinio ex probabili evadat improbabilis, si

nimirum de novo aperiuntur fundamenta contraria tam ponderosa & vrgentia, solutionesque fundamenti oppositi tam solidae, ut omnem vim obtinendi prudentem assensum amittant.

245. Advertunt insuper rectè DD. non tolli probabilitatem opinionis apud eum, cui occurrit ratio in contrarium, quam ipse dissolvere non possit: prudenter enim cogitare potest, ab alio eam esse dissolvendam. Secus esset, si tibi aliqua probatio evidens esset, tunc enim in contrarium aliorum auctoritas tibi non suffragaretur, quia evidenter scires eos errare, nec penetrare tuam probationem. Verum in quaestionibus moralibus hoc vix contingit.

246. Quæritur 1. Vnde constare possit, motivum assentiendi esse tanti momenti, ut prudentem possit movere ad assensum. R. In casibus particularibus hoc facilius deprehendi potest, quam ut in genere possit definiri. Communiter tamen & rectè dicitur, tunc esse ejusmodi, quando majore vi pollet, quam illa motiva, quæ plerumque cum falsitate conjunguntur.

247. Quæritur 2. An, & quando unus Doctoris auctoritas faciat sententiam probabilem. Respondetur primò. Potest unus Doctor sententiam aliquam facere probabilem, ut habet communis sententia. Ratio est, quia si habet debitas qualitates (de quibus mox) tunc quilibet sequens opinionem improbabilem, agit ex animi levitate: ergo opinio talis doctoris non est improbabilis. Respondetur 2. Hujusmodi Doctor debet communiter in alijs doctrinis habere iudicium sanum, hoc est, non debet affectare aut facile amplecti sententias paradoxas & novas, nec debet ad suam singularem opinionem induci aliquo extrinseco emolumento, vel ex aliqua tentatione. Debet item niti tali fundamento, quod non fuerit pridem ab alijs perspectum, & ab æquè doctis tanquam improbabile rejectum. Debet insuper esse homo verax & Zelosus, hoc est desiderans, ut actiones humanæ sint conformes legibus. Debet denique habere satis universalem notitiam questionum practicarum. Respondetur 3. Si unus doctor probatæ vitæ & doctrinæ, aliquid asserat novi, de quo hucusque alij nec pro nec contra quicquam statuerunt, reddit opinionem suam aliquam probabilem, & ipse quoque Doctor eam sequi potest. Idem dicendum, si illa materia à paucis tacta sit, & eorum rationes Doctor solvat, novamque rationem asserat alijs intactam, cui idem Doctor multum fidat. Respondetur 4. Si materia fuit communiter à pluribus disputata, & ab unus omnium sensus, tunc ut Doctor singularem oppositum probabile reddat, debet niti ratione novâ validâ, & propemodum convincente intellectu. Ratio est, quia nisi talem rationem asserat, potius decet suam novam opinionem habere suspectam, quam ut alijs omnibus perscriverat. Nam sensus communis in re morali loquitur.

ge plus valere debet apud prudentem, quam ratio mediocriter probabilis. Quod autem vnius Doctoris ponderosa ratio possit novae opinioni probabilitatem asserere, negari non potest, cum hac ratione in Scholas introducta sint novae opiniones quamplures, & nunc passim receptae & approbate, ut notavit Joannes Sanchez *disput. selecti. 44. n. 62.* & Castro Palao d. 2. p. 1. n. 3.

248. Observandum tamen est, non sufficere si in aliquo Compendio legas sententiam, quae sit contra communem doctrinam: constat enim huiusmodi compendia corruptissimè, & cum magno praedjudicio fieri eorum authorum, quorum doctrinam profitentur, ac saepe gravissimis erroribus scaterere, nec à minùs doctis legi posse sine periculo graviter aberrandi, eò quod Compendiatores brevitate affectantes, saepe truncatae referant opiniones Doctorum, omittis quibusdam exceptionibus aut limitationibus, quae si adderentur, alium omnino sensum efficerent.

249. Quæritur 3. Quanam opinio dicatur Tutta, aut Tutior. Respondeo primò. Si loquamur de opinione tuta in praxi, ad evitandum peccatum formale, hoc est offensam Dei, tunc omnis illa opinio est tuta, quæ est munita illâ probabilitate, quam possum in tali materia licitè sequi: quanam autem illa sit, partim jam dictum est, partim dicetur Controv. sequente. Vnde in hoc sensu non satis scholasticè aliqui loquuntur, dicentes, hanc vel illam opinionem esse quidem probabilem, sed oppositam esse tutiorem. Quod si verò loquamur in ordine ad vitandum etiam materiale peccatum, tunc equidem clarum est, vnam opinionem esse alterâ tutiorem, utique enim tutior est sententia asserens licere pro collatione sumere tantum sex uncias, quam quæ concedit decem? tutior, inquam, ad non violandum, ne materia: licet quidem, jejunium. Respondetur secundò. Si sermo sit de majore securitate in evitando aliquo incommodo consequente (etiamsi de praesenti non committatur peccatum) tunc etiam certum est, vnam opinionem posse esse aliâ tutiorem: v. g. est sententia, quod attritio cum Sacramento sufficiat ad justificationem, & est alia opinio quod requiratur contritio. jam si fingamus priorem esse falsam, tunc licet eam sequendo non peccem, neque tamen etiam consequar justificationem, & si sine contritione morerer, damnerer propter peccata mortalia commissa, nec per Sacramentum nec per contritionem deleta. Aliud exemplum est in absolutione Sacramentali, cum his solis verbis: *absolvo te.* est enim tutior opinio requirens insuper hæc verba: *à peccatis tuis.* item, tutior est sententia negans te consequi fructum sacrificij, sub quo longo tempore confiteris.

250. Observandum hic denique est, & distinguendum inter probabilitatem de usu valido, & probabilitatem de usu licito: neque enim ex priore licet inferre posteriorem. v. g. est speculative probabile, quod cerevisia & aqua rosea sit

materia valida Baptismi, & tamen nullo modo est probabile, quod liceat uti huiusmodi materiâ dubiâ, relicta certâ, quando hæc haberi potest. Hæc pro instituti mei ratione brevissimè dicta sunt. ea copiosius tractanda Moralists relinquo.

CONTROVERSIA III.

Vtrum liceat sequi opinionem Probabilem relicta probabiliore.

251. Notandum 1. Posse me circa objectum probabile dupliciter versari: primò per assensum opinativum & directum, quo ex motivis probabilibus infero & concludo, rem ita esse, licet cum formidine oppositi: secundò per actum quasi reflexum supra ipsam probabilitatem objecti, & est actus, quo judico, hoc esse probabile, & subitare motivo tanti momenti, ut possit virum prudentem movere ad assensum.

252. Notandum 2. Judicium de probabilitate objecti posse existere in me, etiamsi objecto ipsi, quod dicitur esse probabile, nullo modo directè & opinativè assentiar. Paret: assensus enim opinativus est liber, procedens ab imperio voluntatis: ergo etiamsi reflexè cognoscam aliquid habere sufficientia motiva probabilitatis, non propterea necessariò mihi impero assensum probabilem & obnoxium errori.

253. Notandum 3. Hactenus apud omnes indubitatum fuisse, posse eidem intellectui simul & semel duas opiniones contrarias ambas probabiles videri, & posse aliquem, dum vni adheret, oppositam probabilem judicare; indubitatum similiter fuit, posse intellectum ex imperio flecti, ut assentiar illi opinioni, quæ illi minùs probabilis apparet relicta illâ, quæ apparet probabilior. Verum hæc & plura alia nunc ab vno alteròve Recentiore in controversiam vocata sunt: quorum rationibus, cum essent recentissimæ, anno 1649. satisfacere conatus sum eo modo quo deinceps referam.

§. I.

Vtrum eidem Intellectui possit simul & semel apparere probabilis utraque pars contradictionis.

254. Negativam tenet Card. Pallavicinus, imprimis in libello de actibus humanis à n. 114. deinde in suo opere de eadem materiâ *disp. 8. q. 6. a. 4.* Contra quem

DICO, standum esse communi omnium aliorum judicio, & experientia manifestæ, quæ simul oppositas opiniones probabiles judicamus, tunc, quando neutri præ altera præbemus assensum, sed suspendimus, & deliberamus, cuinam velimus assensum præbere, sicut cum deliberamus, quodnam ex duobus bonis oppositis eligere velimus. Probabitur Conclusio à fortiori ex

A 2

infra

infra dicendis contra hunc ipsum autorem, quando ostendemus, posse me liberè assentiri opinioni etiam minùs probabili, relicta probabiliore. Nunc satis erit, respondisse ad fundamentum adversarij.

255. Probat ergo suam singularem doctrinam Cardinalis hoc modo. Probabile definitur ab Aristotele, quod plerumque contingit. Non potest autem dari aut credi mutuus excessus inter duo in frequentia excedendi: quare si altera pars, omnibus consideratis, mihi apparet probabilis, altera tunc respectu mei intellectus non potest esse probabilis, & si rationes apparent hinc & inde aequales, utraque se habet perinde ac res omnino dubia.

256. Pro responsione advertendum est, motiva propter quae sit aliquod objectum probabile, aliquando esse valde restricta ad actus ejusdem omnino rationis, aliquando verò se extendere etiam ad alios actus, ut paulò post in exemplis apparebit.

257. Si motivum sit primi generis, verum quidem est quod ex Pallavicino retulimus, non item si sit secundi generis, qualia sunt pleraque. Ponamus, ex: gr. quòd Petrus, si ludat cum Paulo, saepius lucretur, quàm perdat, tunc, si hinc & nunc ludat, est continuò probabile, quòd sit lucraturus, neque est ex simili motivo probabile, quòd Paulus sit lucraturus, quia non potest simul verum esse, quòd Petrus cum Paulo ludens frequentius lucretur, & etiam Paulus frequentius lucretur. Quodsi verò ex parte Pauli apparet aliud motivum, v. g. quia aliquis divinator illi prädixit, hunc diem fore fortunatum, & ille divinator plerumque verum dicat, tunc potest simul & ex aequo reddi probabile, quòd sit lucraturus, quia ille divinator plerumque verum dicit. Hoc autem motivum non tollit probabilitatem oppositi, alioquin fieret, ut neutra pars esset in casu posito probabilis, quia nec habetur experientia quòd Petrus plerumque lucretur, etiam stante tali divinatione, neque etiam habetur experientia, quòd ille divinator plerumque fortunam verè prädixerit, quando Petrus cum Paulo ludit.

258. Aliud & clarius exemplum sit hoc. Ponamus duos, Petrum & Paulum, quorum uterque sit talis conditionis & veracitatis, ut soleat frequentius dicere veritatem quàm mentiri: ponamus item, Petrum mihi dicere, Caesarem esse mortuum, Paulum verò dicere Caesarem non esse mortuum. Ecce! utrumque contradictorium necitur motivo quod plerumque non fallit: ergo in tali casu verissimè judicare possum utrumque esse probabile, hoc est, vnumquodque seorsim posse movere hominem prudentem ad assensum.

259. Quando ergo Aristoteles dixit, Probabile esse, quòd plerumque contingit, intelligendum id est, comparativè ad illud motivum cui annectitur, & in quantum annectitur motivo quod plerumque non fallit, tunc est ratione hu-

jus probabile: quia verò potest concurrere aliud motivum, etiam plerumque non fallens, ideò cum illo connectatur oppositum, etiam oppositum erit probabile.

S. II.

Utrum possit intellectus flecti à voluntate ad assentiendum opinioni quae apparet minus probabilis.

Negativam opinionem excitavit quidam fictitio nomine Candidi Philalethi Madritani, quam etiam opinionem secutus est Card. Pallavicinus.

260. DICO, posse voluntatem flectere suo imperio intellectum, ut assentiamur opinioni minùs probabili. Probo ijsdem argumentis quibus vix nam contrariam opinionem oppugnavi. Et primò autoritate S. P. Ignatii, qui ex sensu planè communi, ac tunc temporis indubitato, in aurea sua Epistola de Obedientia, testis est in eo, ut ostendat, supremum gradum perfectissimae obedientiae consistere in hoc, ut quis non tantum velit facere, quod Superior indicat expedire, sed ut suam (verba sunt illius) Intelligentiam offerat (quae ab ipso vocatur obedientia Judicii) ut non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat quod Superior, ejusque judicio subiiciat suum, quoad potest deo voluntas intelligentiam inflectere: quae vis animi (nempe intellectus) tamen non ea, quae voluntas pollet, libertate praedita est, atque ipsa natura fertur ejus assensus in id quod sibi veri speciem praebet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non inferat. NB. potest voluntatis pondere in hanc partem quam illam partem inclinare. Plura subiungit ibidem, quae contrariae opinioni adversantur.

261. Probatur Conclusio 2. à posteriori. Haereticus formalis & pertinax, adharet suo errori tunc, quando agnoscit se obligari ad credendum contrarium: sed tunc apparet illi contrarium probabilius, & error suus minùs probabilis, immò non nisi imprudenter credibilis: ergo possum assentiri objecto, quod mihi apparet minùs probabile, imò non nisi imprudenter opinabile. Negant adversarij majorem, & dicunt, tunc non posse haereticum assentiri suo errori, sed ideo solum peccare, quia agnita credibilitate nostrae fidei, suspendit assensum, cum reneatur assentiri.

262. Quodsi inferas, ergo nunquam peccat, qui errori contra fidem adharet, utpote sibi probabiliori, alioquin secundum adversarios non posset adherere: Negant consequentiam. Posset enim, inquit Pallavicinus, tunc, & teneretur suspendere assensum, & imperare sibi diligentius examen motivorum: quod si faceret, occurrerent motiva sufficientia ad credendum.

263. Quodsi iterum inferas: Ergo qui actu credit articulum fidei, non est magna laude dignus,

dignus, quia credit id, cui non potest discredere, quod sane non habet magnam difficultatem, quis enim habet difficultatem in credendo, existisse aliquando Roman? Responder iterum Pallavi-
cinius, talem esse laudem dignum ex duplici capite, primo, quia cum obiectum non sit evidens, libe-
rum fuisset suspendere assensum (ô magnam lau-
dis materiam!) Secundò, quia potuisset etiam
tunc non quidem discredere, neque credere cum
dubitatione formali, sed tamen cum formidine
radicali, quæ pariter dubitatio excluditur per fi-
dem divinam.

264. Sed contra hæc omnia pugnat & o-
mnium aliorum sensus, & propria cuiusque expe-
riencia. Nam quis audeat dicere, illos hæreti-
cos, qui post innumeros libros Catholicorum
perfectos, adhuc in hæresi persistunt, necdum ad-
hibuisse sufficiens examen & inquisitionem in
motiva credendi? ergo vel adhærendo suo errori
non peccant, utpote quæ (ut volunt adversarii)
adhuc esset illis probabilior, alioquin non pos-
sent adhærere, vel (quod vnicum restat dicen-
dum) non possunt tunc adhærere suo errori.

265. Cæterum hoc ultimum est contra
proprium cuiusque experientiam. Sentimus
enim in nobis sæpius etiam tunc, quando agno-
scimus obligationem credendi mysteria difficilli-
ma, ut Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae,
sentimus, inquam, graves tentationes, & pro-
pensiones, immò violentissimos impulsus, non
equidem præcisè ad suspendendum assensum,
sed ad discredendum, & ad dicendum: *Non da-
tur Trinitas Personarum in unitate naturæ &c.* & non
esset opus vllâ magnâ victoriâ intellectus ad dis-
credendum: porro dum huiusmodi tentationi
fortiter resistimus, signum est, nos agnoscere ob-
ligationem credendi, seu, non discredendi: pos-
sibile ergo esset discredere tunc, quando habemus
sufficiens motiva credendi.

266. Probatur Conclusio 3. à pari. Vo-
luntas potest amplecti minus bonum relicto ma-
iore bono, ut suprà probavimus, & concedunt
adversarii: ergo ex imperio voluntatis potest in-
tellectus assentiri illi, quod substat motivo rariùs
fidenti, licet motivum ad oppositum etiam ple-
nè non fallat.

267. Obijcit Pallavicinus 1. Authorita-
tem Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 9. artic. 1. ad 3.
dicentis, quod voluntas moveat intellectum
quoad exercitium, intellectus verò volunta-
tem quoad determinationem actus. Respon-
detur. Si verborum S. Thomæ sensus esset,
quem intendit adversarius, voluntas in senten-
tia S. Thomæ non seipsam liberè determinaret
quoad specificationem, sed determinaretur ab in-
tellectu, quod omnino falsum est. Sensus ergo
verborum S. Thomæ est iste, quod intellectus
moveat voluntatem proponendo illi diversâ mo-
tiva, ut possit se voluntas inter diversas species
determinare; sicque intellectus non determinat
voluntatem quoad specificationem, sed movet

hoc est, reddit illam expeditam ad se determinan-
dum. Non ita movet voluntas intellectum, quia
nunquam proponit voluntas intellectui diversâ
motiva, ut ipse eligat, sed voluntas, præsupposi-
tâ aliâ cognitione dictante, *bonum esse hoc vel illud
considerare*; imperat intellectui exercitium circa
illud ipsum obiectum, nec est in potestate intelle-
ctus aliud obiectum considerare tunc, nisi illud
quod vult voluntas.

268. Obijcit idem author 2. Cum intel-
lectus sit essentialiter ordinatus ad verum, non vi-
detur bonum illius, posse moveri à voluntate ad
id, in quo minùs apparet ratio veri, quàm in op-
posito, contra suam naturalem inclinationem.
2. Immo expedit illi, posse ita moveri, quia si
non posset sic moveri, sæpe non esset in potestate
ipsius assequi veritatem, quam tamen assequi po-
test, si sic possit moveri: nam sæpe contingit, ut
opiniones, quæ apparent probabiliores, revera
sint falsæ: quo casu si non posset intellectus flecti
à voluntate in opinionem minùs probabilem, non
esset in potestate operantis opinari cum veritate,
sed deberet vel errare, vel ignorare. at, si possit
flecti in minùs probabilem, [quæ tunc vera est,
jam est in illius potestate, assequi veritatem.

269. Obijcit idem 3. Nemo, inquit, vn-
quam in se experitur hunc actum: *Ego credo hoc,
sed video contrarium esse probabilius, vel æquè proba-
bile.* 2. Nimis intrepidè adversarium testari de
omnium hominum experientia, cum potiùs ho-
minum experientia communis stet contra ipsum,
ut jam ostendimus: quapropter nos eodem & me-
liori jure ad experientiam provocamus. Perinde
ergo est hoc argumentum ac si diceret: Nemo
experitur in se hunc actum: *volo facere hoc, tamen si
videam oppositum esse melius: hoc falsum esse agno-
scit ipse Pallav. n. 146.* quia de fide est, melius
esse, operari honestè quàm inhonestè: atqui sæpe
amplectimur inhonestum absque hæresi: ergo am-
plectimur minus bonum cognito meliore bono
opposito. Sic ergo respondendum est Pallav. ex
hæreticorum pertinacia constare satis de experi-
entia illius actus, quem ille putat neminem ex-
periri. Et hæc sunt argumenta Card. Pallavi-
cini; nunc argumenta Philalethi videamus.

270. Philalethus itaque refert imprimis
varias authoritates antiquorum Philosophorum,
volentium, quod opinari non sit liberum, sed
necessarium. Ad hoc argumentum pridem re-
spondi, Philosophos solum velle, quod opinari
non sit liberum, sicut apprehendere & imaginari
objecta; nam ad opinandum, requiritur moti-
vum probabile, quod non semper adest, sicut ad-
sunt species ad imaginandum, ut per se patet.
Hinc autem non sequitur, quod habito motivo
opinandi, necessarius sit assensus, nam etiam vo-
luntati est necessarium motivum volendi, & ta-
men non necessitatur. Hanc responsionem po-
stea tradidit etiam P. Martinus Esparza a. 3. ad 1.
*allegans authoritatem S. Thomæ & Dandini in lib. 2.
Arist. de anima tex. 153.*

A a 2

271. Vite-

271. Vltcrius affert Philalethus argumēta philosophica, vel, vt rectius dicam, Sophismata.

Primò sic arguitur. Intellectus opinando dicit vel verum, vel falsum. sed vt dicat verum, vel vt dicat falsum, non est liber: ergo opinando non est liber. Probat minorem. Intellectus vt dicat verum, vel vt dicat falsum, habet causam necessariam: ergo non est liber. Probat antecedens. Veritatis vel falsitatis causa solum est vel *esse* vel *non esse* rei: nam ideo solum propositio est vera vel falsa, quia res est, vel non est: sed esse vel non esse rei, est necessarium, seu independens omnino à nostra libertate: ergo etiam opinari verum, vel opinari falsum, est independens à nostra voluntate. Respondeo 1. Retorquendo argumentum, & probando quòd voluntas non sit libera vt operetur honestè, vel vt operetur inhonestè. Voluntas habet causam necessariam, nempe ipsam honestatem vel inhonestatem objectivam, quæ non pender à nostra voluntate, atque ideo noster actus voluntatis dicitur honestus vel inhonestus, quia objectum est tale: ergo non est in nostra potestate operari honestè vel inhonestè. Fallacia vtriusque argumenti eadem est. *Honestè operari* non dicit solummodo honestatem objectivam, & qualem-cunque tendentiam in illam, sed dicit certam tendentiam specificam: v. g. non omnis actus versans circa restitutionem furti (quæ est objectivè honesta) est honestus, vt, si vellem restituere præcisè ne puniar à Magistratu. requiritur ergo ad honestatem volitio restitutionis ex tali motivo honestatis objectivæ. Tametsi ergo non sit in mea potestate, vt objectum sit honestum vel inhonestum, tendentia tamen voluntatis in illud quoad prosecutionem vel fugam ex tali motivo, est in mea potestate, & ideo dicor honestè vel inhonestè operari. Pari modo discurrendum est de actibus intellectus. Nam sicut actus voluntatis vel sunt boni vel mali, ex diversâ tendentia in objectum, ita vt si prosecutio sit mala, fuga sit bona, ita actus intellectus sunt veri vel falsi, ex diversâ tendentia affirmationis vel negationis. Quando denique adsunt diversæ & oppositæ rationes affirmandi vel negandi, pender intellectus ab imperio voluntatis, vt affirmet vel neget, & per consequens, vt tendat vel actu vero vel actu falso, etiam si non sit in ejus potestate ipsius objecti *esse* vel *non esse*.

272. Argumentatur Philalethus 3. Assensus intellectus quoad specificationem tantum causatur à motivis seu argumentis rei, sed hæc causant independentè à libertate, adeoque necessariò: ergo &c. Nego maiorem, & minorem. & dico, imperium voluntatis determinare intellectum, quando sunt argumenta diversâ & non convincentia.

Et hæc sunt argumenta horum duorum, inter quos tamen, quantum attinet ad principale punctum præsentis controversiæ, maximum

est discrimen, benèque observandum. Philalethus enim docet, & deducit ex dictis principiis nunquam licere, immò nec posse villo modo *licere*, vt quis sequatur opinionem minus probabilem relicta probabiliore, quia putat, ad hoc vt aliquis sequatur aliquam opinionem in præiudicium ipsi illi opinioni assentiri, quod omnino falsum est. Itaque Pallavicinus econtrario docet, posse aliquem in præiudicium opinionem probabilem relicta probabiliore, quia potest accommodare aliorum Doctorum conditioni, qui iudicant esse probabiliorem illam opinionem, quam ipse iudicat esse minus probabilem: non enim debet propter suam opinionem esse peioris conditionis quam illi Doctores qui possunt suam opinionem sequi, quam iudicant esse probabiliorem.

§. III.

Verum ad operandum honestè requiratur certitudo moralis quòd operatio sit licita, vel sufficiat probabilitas.

273. Non est questio de iudicio practico, & immediate dirigente actum, de hoc enim supra pronuntiavimus, debere esse evidens, sed est questio de iudicio speculativo, quo v. g. iudico, probabile esse, licere pro collatione sumere decem uncias, præcindendo an opposita sententia sit probabilior, an inquam talis probabilitas possit fundare honestam operationem, vel an requiratur moralis certitudo, qualis esset v. g. si viderem neminem dissentire, & omnes communiter sine scrupulo praticare.

Huic questioni tractandæ sub his terminis, causam dedit Prosper Fagnanus, Canonista famosissimus huius temporis, qui animadvertens abusum frequentem doctrinæ communis, de licita præiudicium opinionum probabiliū, & laxiorum opinionum nimis invalescentium, iustâ indignatione commotus, omnes eruditionis suæ vires & nervos intendit, vt huic malo remedium adhiberet; in quem finem eò progressus est, vt doceret, in 1. p. primi Decret. de Constit. c. Ne innotuit à n. 44. & à n. 59. in morali materia nunquam posse opinionem probabilem esse regulam morum, seu, in materia morali nunquam licitum esse, Opinari. Facit autem hanc suam opinionem esse auctoribus modernis fere destitutam, inniti tamen existimat sapientia antiquorum, & fulciri solidissimis fundamentis, eaque refert ordine viginti sex. Videamus illa in compendio.

274. Primum Fagnani argumentum format ex Eccles. 32. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* subsumit: atqui opinio non est Veritas, quia non est indubitata; nec etiam stabilis, cum possit esse falsa. Ergo non sufficit ad honestatem operationis. &c. Citandum erat cap. 37. v. 20. Deinde,

Deinde, sensus verborum est, quod nihil sit inconsiderate & precipitanter agendum, sed adhibita ratione & consilio, vel proprio vel alieno, & tali quidem quod sit aptum fundare iudicium & dictamen practicum evidens, hic & nunc esse licitum sic operari. Hoc totum verificatur in eo, qui sequitur opinionem probabilem, ut infra ostendetur. Videatur Cornelius à Lap. aliquique interpretes. Accedit, quod illud ipsum caput Eccles. sit plenum consilijs pijsque monitis, quæ si velles dicere præcepta, absurdissimus es. versu 12. dicitur: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, & cum muliere de ea quæ emulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de traiectione &c.* sicut ergo hæc sunt præcepta & consilia, ita consilium esse posset, in omni actione quantum moraliter fieri potest, semper ea sectari, quæ morali certitudine honesta sunt, & non merè probabiliter.

275. *Secundum* argumentum format ex Aristotele, quod opinio non sit actus Prudentiæ, & ideo non possit esse regula morum. Sed hoc nimium probat, nempe requiri evidentiam metaphysicam, qualem debet habere omnis actus Prudentiæ; & quidem talis omnino debet esse regula morum, sed hoc intelligendum est de dictamine practico & proximo, cujus fundamentum non solum est moralis certitudo iudicij speculativi præcedentis, sed etiam probabilitas, ut patet etiam in actionibus civilibus & politicis; ut enim v. g. quis prudenter ineat contractus emptionis, venditionis &c. non est necesse, ut habeat moralem certitudinem de immunitate à damno secuturo, sed satis est habere probabilitatem. Cum hoc argumento formalissimè incidunt tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, & insuper falsò supponitur in illis, quod qui sequitur opinionem probabilem, debeat illi assentiri, quod supra negatum est cum Card. Pallavicino. Pari modo falsò supponitur, quod intellectus non possit determinari ad vnum inter duo probabilia: denique falsò supponitur, quod quotiescunque vnum oppositorum est probabile, hoc ipso alterum etiam appareat probabile; si enim vir fide dignus mihi dicat, Candiam esse captam à Turca, est id probabile, sed non propterea est probabile non esse captam: fallibilitas enim illius viri non facit oppositum probabile.

276. *Octavum* argumentum. Qui facit actum probabiliter illicitum, discrimini se committit & mortaliter peccat c. *inquisitioni de sent. excom. c. ad audientiam. c. significasti. c. petitio. de homicidio.* Sed qui facit actum probabiliter licitum, facit actum probabiliter illicitum, quia quod probabile tantum est, potest se aliter habere. Ergo. Hoc argumentum tot fere vitia habet quot verba. Distinguitur major: si oppositum non est probabile, conceditur, secus, negatur. Minor est etiam falsa; aliud est, quod qui opinatur, simul iudicet, rem vi sui motivi assentiendi posse se aliter habere; & aliud: esse

probabile quod se aliter habeat. Si v. g. vir fide dignus mihi dicat, se heri hoc vel illud negotium gessisse, id certè probabile mihi redditur, quamvis vi huius autoritatis possit se res aliter habere; quod autem se defacto aliter habeat, nullam penitus habeo probabilitatem. Capitula citata nihil penitus ad rem faciunt. Cap. *Inquisitioni* permittit redditionem debiti coniugi, habenti prudentem probabilitatem de impedimento, & negat illi licentiam exigendi, quia nullum habet probabile jus exigendi, sicut habet alter conjunx. cap. *ad audientiam.* loquitur de dubio, & de officio iudicis, qui utique debet tutiorem partem sequi, ut ibi rectissimè dicitur. c. *significasti.* eodem modo se habet. c. *Petitio* expressè loquitur de eo quod consultius est, nempe in remorsu conscientie de homicidio commissio, consultius esse abstinere à ministerio altaris, quam temerè celebrare. quid hæc ad rem? De his iterum infra.

277. *Nonum* argumentum. Qui sequitur opinionem probabilem, adhibet regulam quæ sæpe fallit: ergo agit imprudenter, sicut imprudenter ageret, qui negotia sua committeret alicui infideli & sæpe fallere solito. Respondetur, Sicut non agit imprudenter, qui merces committit nautæ plerumque feliciter naviganti, etsi possit aliter accidere, & semel iterumque acciderit, ita non agit imprudenter qui iudicat licitum esse hoc vel illud, ex motivis probabilibus, hoc est, plerumque non fallentibus, etsi res aliter se habere posset, & semel iterumque fallant.

Decimum, Undecimum & Duodecimum argumentum fundantur in falso principio duplici. Primum, quod cujuscunque Doctoris, sine discrimine, opinio faciat opinionem prudenter affirmabilem & practicabilem, seu probabilem, quod supra negavimus. Secundum, quod, cuicunque objecto possumus ob quaecunque motivum assentiri, hoc ipso illud objectum sit probabile; quod falsissimum est; nam & hæretici formales assentiuntur suis erroribus, habentque aliquod motivum, & tamen eorum errores, non habent illam probabilitatem, de qua in præsentia est questio, nempe cui vir cordatus & prudens sine temeritate potest assensum præstare, talem requirimus ad licitam illius opinionis praxin. *Decimum tertium* argumentum infra solvendum est. *Decimum quartum, decimum quintum, decimum sextum & decimum septimum,* probant quod nemo negat, nempe Opinionem non esse assensum Rectum, hoc est evidentem, prout ibi definit Alex: de Ales. quem sequitur S. Thomas & Sorus, & erit questio de nomine. *Decimum octavum* in simili jam supra explosum est, dum supponit, determinationem ad assensum debere provenire ab objecto, & non posse ab imperio voluntatis, quod reipsa aliud non est, quam negare possibilem omnem assensum opinativum, immò & assensum fidei. *Decimum nonum* argumentum non habet opus solutione, nam certa doctrina est PP. Salmanticen-

sum, quoddam Judicium practicum, immediate præcedens actum moralem, debeat esse certum & evidens, ut supra docuimus, sed de hoc non est præsens quaestio, ut ab initio monuimus. Confundit ergo D. Fagnanus Judicium practicum cum speculativo. *Vigesimum* argumentum abutitur autoritate Cajetani, cujus doctrina verissima est, nempe cum dubio non licere operari, nisi dubium prius deponatur, & formari possit judicium practicum evidens. *Vigesimum primum* argumentum eodem modo solvitur, & præterea refert ex Cajetano propositionem quam supra ostendimus esse falsam, nempe quoddam quicumque judicat aliquid probabiliter esse licitum; hoc ipso judicat esse probabiliter illicitum. Et quidem quod mirum est, hic ipse D. Prosper Fagnanus, supponit contrarium n. 44. quando format statum Quaestionis, ut legenti patet. *Vigesimum secundum* argumentum sunt verba Gregorij de Valentia, quibus asserit, Virtutem intellectualem debere esse habitum, cujus actus sint essentialiter veri. Quis hoc negat, aut nescit? quid inde sequitur? *Vigesimum tertium* continet verba Lessij, quoddam actus Opinionis non sit actus Prudentiae. Et hoc quis in dubium vocavit? *Vigesimum quartum* & *Vigesimum quintum* iterum probant, quod nemo negat, nempe eum qui habet conscientiam scrupulosam de actu illicito, non posse honestè operari, nisi scrupulum prius deponat, & comparat judicium practicum evidens de licito & honesto actu. *Vigesimum sextum* denique vel continet manifestam petitionem principij, vel confundit Judicium speculativum cum dictamine practico. Ut adeo in omnibus his argumentis non inveniam illam soliditatem quam Author pollicitus erat.

278. Insistendum igitur est receptæ certæque sententiae, posse probabilitatem opinionis, hoc vel illud esse licitum, fundare dictamen practicum, quoddam hic & nunc talis actio sit licita & honesta, etiam si illa probabilitas non excludat omnem probabilitatem oppositi, seu quod idem est, etiam si non contineat moralem certitudinem, hoc est, cujus motiva etsi physicè loquendo fallere possent, defacto tamen nunquam fallunt.

Probatur Conclusio unica ratione, ad quam omnes aliae sunt revocandae. Cui speculativè probabile est, licere v. g. pro collatione sumere decem uncias, debet hæc probabilitas fundari in motivis talibus, de quibus evidens est, quod plerumque non fallant, in hoc enim consistit probabilitas quæ meretur prudentem, hoc est, non levem assensum: atqui talis probabilitas cognita, præcindendo, an oppositum etiam nitatur motivis plerumque non fallentibus (quod fieri posse fatetur in terminis Fagnanus, & supra probavimus) talis inquam probabilitas cognita, fundat judicium evidens & practicum, hic & nunc licitum mihi esse, sumere decem uncias: ergo talis probabilitas ex se est sufficiens ad honestandam actionem. Minor probatur & declaratur, supponendo id quod nemo negat, innumeros casus

occurrere, in quibus haberi quidem potest probabilitas de licentia operationis, sed non potest haberi certitudo tanta, ut excludat omnem probabilem formidinem, qualem habemus, quod exeat Roma, v. g. ob malam stomachi dispositionem et probabile me excusari à jejunio, sed non sine formidine, nec possum habere majorem certitudinem: hoc posito formatur hic discursus evidens. Laudabilis est ille, qui in operando talem regulam attendit, quæ plerumque non fallit, quanto certiore habere non potest, & est ita comparatus, ut nisi talem regulam haberet, non operaretur, & hoc est evidens; quis enim non ipso naturæ instinctu impellitur ad laudandum eum, qui v. g. manet in sæculo, ductus autoritate viri prudentis, qui ex probabilibus rationibus ita consultat, paratus ingredi religionem, si careret tali consilio? atqui sequens opinionem probabilem, nititur hujusmodi regulam, quod iterum evidens est, sola enim illa opinio probabilis est, quæ potest suis momentis obtinere assensum viri prudentis: ergo evidens est, quoddam qui sequitur opinionem probabilem, ita comparatus, ut non operaretur absente probabilitate, laudabilis sit, ergo operatur licitè & honestè. Ergo opinio probabilis fundat judicium evidens de proximè licita operatione, hoc est quæ sit formaliter bona, esse fortasse sit materialiter & objectivè illicita; quia fortasse illa opinio est falsa.

279. Confirmatur hoc discursu. Ex eo quoddam natura dederit homini potentias & libertatem ad operationes innumeras, est lumine naturæ evidens, omnem illam operationem homini licere, quæ non probatur esse illicita, seu, quæ non prohibetur. Sic Jureconsulti frequenter vultur hoc principio, cum quaerunt v. g. Quis possit facere testamentum? quis possit res suas alienare &c. respondent: qui non prohibetur. Rectè. Ergo pariter evidens est, quod ad hoc ut operatio aliqua sit proximè & formaliter illicita, non satis sit, probabile fieri, esse in se & materialiter seu objectivè illicitam, sed debet ita fieri probabile, ut, hoc quod est esse licitum, nullo modo sit probabile. Probo consequentiam. Quamdiu enim manet probabilitas licentiæ, semper stat judicium pro possessore libertatis, & non est defectus de possessione. Ergo nisi ita probetur actus illicitus, ut elidatur omnis probabilitas licentiæ, semper manet operatio formaliter & proximè licita. Et ad hæc argumenta nulla potest erui responsio ex omnibus illis quæ

D. Fagnanus ad decem argumenta se relata respondet.



§. IV.

Utrum liceat sequi opinionem probabilem, relicta illa quae mihi videtur probabilior.

280. Prima sententia negat, nisi minus probabilis sit iudicior. Tribuitur Cajetano, Navarro, Cordubæ, Conrado, Armilla, Sylvestro, Burgos de Baz. P. Elparza existimat solum Comitolium esse huius sententiae in proprijs terminis distinctæ & indubitanter assertorem. Quidquid sit de antiquioribus illis, recenter hanc sententiam defendit post Candidum Philalethum, Prosper Fagnanus, qui tamen immerito applaudit Candido, quod primus libertatem opinandi fortiter compescuerit; neminem enim vidi, qui Candidum securus esset, præter Fagnanum, qui d. n. 176. vsque ad 340. affert quadraginta duo argumenta, Proclo superior, qui quadraginta demonstrationes confecit (opinionem suam) quod mundus debuerit esse ab æterno.

Contraria sententia est inter DD. huius temporis receptissima. Videri possunt apud P. Andream Mendo differt. 13. q. 15. Sed omnium plenissime tractat hanc quaestionem, & defendit communem sententiam, P. Antonius Terillus, in suo absolutissimo tr. quem non vidi, donec hæc iam pro typo absoluta & approbata essent, unde factum est, ut nihil ex illius operis speciali eruditione huc transferre liceret.

281. Dicendum, & ad quaestionem tituli respondendum est affirmativè. Probatur 1. Accommodare se prudentis viri iudicio circa honestatem objecti, est licitum & honestum, ac prudens etiam tunc, quando contra proprium iudicium se alterius iudicio subijcit, ut patet, quando subditus contra propriam opinionem sequitur opinionem sui superioris, quod est summè laudabile, & omnium Allicetarum ore commendatum: atqui sequens opinionem probabilem, relicta etiam sibi probabiliori, adhuc se accommodat prudentis viri iudicio: omnis enim probabilis opinio nititur tali fundamento, cui vir prudens potest acquiescere tanquam probabiliori. Ergo &c. Quis quæso non laudet medicum agrotantem, qui in sui curatione sequitur iudicium alterius medici, quamvis ipse probabilis iudicet, illum minus perire procedere?

282. Probatur 2. Si esset obligatio sequendi semper opinionem probabiliorē, tunc finis huius obligationis esset, ut vitarentur frequentes materiales transgressiones mandatorum: sed hæc ratio non vrget: ergo &c. Major est adverteriariorum. Minorem probat P. Elparza hoc modo. Ex hac ratione sequeretur, omnia consilia Evangelica debuisse esse sub præcepto, nam ingressus in Religionem exactissimæ observantiae, assidua novissimorum meditatio, sollicitudo querendi occasionem martyrij &c. proculdubio tenendum valent ad vitanda peccata, & quidem non tantum materialia, sed formalia, quam pro-

positum sequendi semper opinionem probabiliorē: atqui Deus huiusmodi non præcepit, ergo non est censendus rigidior fuisse in præcipiendo vsu opinionis probabilioris. Verum adversarij facile se ab hac sequela expedirent, reddendo claram disparitatem. Nam etiam si quis non sequatur Consilia Evangelica, potest adhuc ex sua libertate, possibilitate etiam moraliter vitare omnia peccata gravia formalia: at verò si quis sequatur opiniones minus probabiles, quæ sæpe sunt falsæ, non est in potestate hominis evitare peccata materialia. Adde, non potuisse lege naturali præcipi omnibus statum Religiosum, cum matrimonium debuerit lege naturali esse licitum, quia propagatio generis humani est intenta à natura.

283. Aliter ergo probanda est minor propositio argumenti facti. Lex sequendi semper opinionem probabiliorē, non solum non serviret ad cavendam frequentiam transgressionum materialium, sed insuper esset moraliter certa occasio frequentissimorum peccatorum formalium, & præterea non esset necessaria ad conservationem generis humani ejusque felicitatem promovendam: ergo longè plus incommodi afferret quam commodi. Esset ergo lex perniciofa, quod est contra naturam legis. Antecedens probatur. Homines enim plerumque vel non investigarent opinionem probabiliorē, vel ob ejus duriciem eam non sequerentur, vel denique plurimi redderentur perplexissimi, & impedirentur ab operationibus hic & nunc valde necessarijs & opportunis, quia non haberent occasionem intelligendi, quamam sit probabilior opinio.

284. Probatur Conclusio 3. argumento superius adhibito. Cum Deus fecerit hominem dominum suarum operationum, ut eas pro libitu exercere posset, quibusdam exceptis, hæc exceptio cum sit exceptio à Jure certo, debet & ipsa esse certa, hoc est ita probata, ut negatio exceptionis sit planè improbabilis, & nullo modo prudenter opinabilis: ergo quamdiu manet probabile, aliquid licere, nondum est exceptio sufficienter probata, etiam si probabilis sit, non licere. Cum hoc argumento coincidit quod habet Granadus n. 24. Non est lex sufficienter promulgata ad obligandum, quamdiu probabiliter creditur non exstare talem legem. Jus enim quod quis habet ad tuendam propriam libertatem & dominium propriarum actionum, præponderat majori probabilitati, qua suaderi potest dari talem legem: ergo quamdiu probabile est, non exstare præceptum prohibens aliquod opus, rectè possum illud facere, etiam si probabilis sit oppositum.

285. Denique probatur Conclusio ad hominem contra adversarios, qui farentur licere sequi opinionem probabilem relicta minus probabili, etiam tutiore: unde subsumitur: atqui

nostra

nostra opinio, scilicet, quoddam liceat sequi minus probabilem relicta probabiliore, est nobis probabilior, probabilitate tam intrinsecâ quam extrinsecâ, non obstantibus quadraginta duobus argumentis Fagnani: ergo licet eam nobis sequi. Dico. *Nobis*. Nam pro adversariis non debemus esse solliciti.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

286. Obijciuntur 1. varia Juris Canonici capitula. c. *Juvenis de sponsalib. c. ad audientiam. c. significasti de homicidio*. Ad hæc in specie jam supra responsum est, nempe in illis sermonem esse de dubio propriè dicto, cum quo non licet operari, quia non potest formari dictamen evidens practicum de honestate actionis, sed potius dictamen de inhonestate illius, quamdiu non deponi potest dubium: cujus ratio est, quia lex est in possessione, & non mea libertas: v. g. si dubitem ob levem causam, an hodie liceat mihi omittere Horas Canonicas, aut sumere cenam die jejuniij, quia sum ex itinere nonnihil fatigatus.

287. Obijciuntur 2. Sequens opinionem minus probabilem, exponit se periculo errandi. Etiam qui sequitur opinionem magis probabilem & minus tutam, exponit se periculo errandi. Negamus autem esse illicitum, exponere se tali periculo errandi materialiter ob rationes allatas: nam id quod meâ opinione est majus periculum, alterius opinione est minus: est autem honestum, sequi alterius prudentis judicium, posthabito proprio judicio, ut jam supra dictum est. Porro quamdiu ab Ecclesia toleratur opinio nostra de opinione minus probabili, tamdiu non est periculum peccandi mortaliter, teste S. Thomâ quodlib. 9. a. 15. dicente: *Illud quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum; sed Ecclesia sustinet: ergo non est periculum peccati mortalis*. Quem locum si considerasset Fagnanus, non proclamasset opinionem nostram tam perniciosam. cū Fagnani argumenta (cujus Zelum ceteroquin suspicio) nihil planè contineant ultra ea quæ Philalethus habet, & ex dictis ac paulò post dicendis sine negotio solvi possint, ab illis referendis absteineo. Dissimulandum tamen non est, quoddam argumentum quadragesimum deducat ex absurdo de innumeris fere opinionibus falsis, temerariis, & scandalosis, quæ ex libertate eligendi quascunque opiniones probabiles, tanquam ex equo Troiano in dies prodeunt, & quamplurimæ pallio probabilitatis recte, traduntur à scriptoribus nostri temporis, quæ reverà non sunt tolerandæ. Ex quibus licet referre infra scriptas, ut ex ijs possit unusquisque intelligere quousque progressi fuerint in morali materia hodierni consultores animarum. Hæc Fagnanus, referens deinde plurimas opiniones, quarum ple-

raque reperiuntur apud probatissimos horum temporis Theologos. Non est officij aut intentionis meæ, judicium ferre de hac Fagnani sententia; quo jure id fecerit, alij videntur: ego solum ex Fagnano discere vellem bonitatem illius consequentiæ, quam ipse facit, & sequi estimat ex nostra sententia. Licet sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore: ergo etiam licet credere opiniones falsas, temerarias, scandalosas, & eas pallio probabilitatis. Antecedens est nostrum Consequentia, quæ est Fagnani, à nobis negatur, nec video, per quam regulam Logicam ex illo antecedente, tanquam ex equo Troiano prodeat: alioquin pari jure sic inferam. *Litteris Floribus & Scriptoris scribere sententias, quæ videntur probabiles*: (tales sunt illæ quæ per se referunt) ergo ex hac licentia tanquam ex equo Troiano prodeunt opiniones falsæ, temerariæ, scandalosæ. Et hæc circa doctrinam Prosperi Fagnani notandum pro instituti brevitate sufficiat, cum quo in hoc convenio, quoddam semper ab opinionibus laicis, & malè sonantibus alienus fuerim, nec novæ opinioni subscribam, nisi solidæ ratione non facile solubili, innitatur: neque moveor quacunque apparente paritate, quibus plerumque se tument novarum opinionum sectatores, ut patebit ex dicendis in Tractatu de Justitia.

288. Subtilior obiectio fieri posset ex eo, quod quem ponit & resolvit Card. de Lugo disp. 7. de Euchar. s. 2. n. 46. Si liceret sequi opinionem probabilem relicta probabiliore, posset in concursu duarum legum licitè ita se gerere, ut tamen certus esset, quoddam alterutrum violare, nihilominus non peccaret, & sic manifestè frustrarentur leges: consequens nemo facile conceder: nam licet D. Caramuel in prior editione suæ Theologiæ fundamentalis concesserit sequentem, in posteriore tamen editione agnoscit ipsam absurditatem. Sequela autem probatur. Ponamus esse in civitate diversa horologia, & non concorditer pulsantia, neque tamen de illius infallibili directione constet; tunc pro veritate stat probabilitas, quoddam bene ambulet, quæ plerumque solet bene ambulare, licet quolibetque hoc, quandoque illud fallat: & consequenter licitum erit sequi quoddam volueris, si recte est obligatio sequendi illud, quod tutius est sequi. Jam sic. Ponamus me circa medium noctis Sabbathinæ audire primum pulsus horæ decimæ in horologio A. tunc erit mihi licitum comedere carnes; quia probabile est, jam esse elapsum terminum jejuniij Ecclesiastici: deinde postquam comedi carnes, audio horologium B. sonare duodecimam: erit ergo probabile me adhuc esse jejunum pro communione sumenda die Dominico: potero ergo mutare opinionem, & velle sequi probabilitatem secundæ horologii die Dominico communicare, quo casu certum est, me alterutram legem violare, nempe me vel comedere carnes ante initium Dominicæ (lib. 6. cundum

cundum horologium bene ambulet) vel communicare non jejunum, si primum horologium bene ambulet.

289. R. In similibus casibus licere quidem eligere vnam determinatam opinionem, & sequi horologium determinatum quod malueris; sed electa semel vna opinione pro tunc non licet opinionem variare, sed semel electa insistendum est in tantum, in quantum eam sequendo manet probabile, te vtrique legi satisfacere, quia ad vtramque copulative servandam teneris: si ergo elegeris probabilitatem primi horologii, & comedisti carnes, debes deinde abstinere à communione: Si verò eligas secundi horologii probabilitatem, potes etiam post auditum primum horologium comedere pisces (vtpote versans adhuc in die Sabbathi) donec audias secundum horologium, & deinde die Dominico accedere communionem: sic enim semper manet probabile, te vtrique legi satisfacere. Non licet ergo in tali casu mutare opinionem in fraudem alterutius legis. Bene tamen potes mutare opinionem pro sequenti hebdomade, & qui priore secutus es horologium A, posses sequenti hebdomade sequi horologium B. quia cessat ratio allata.

290. Contra hanc resolutionem obijciunt ingeniosi quidam RR. aliam instantiam; aliquis iudicat probabiliter, Tributum quod à se exigitur esse injustum, & sine sufficienti causâ impositum; & ideo potest, sequendo hanc opinionem, non solvere Tributum: hic ipse si postmodum constituitur à Magistratu minister executionis, potest mutare opinionem practicè, hoc est, potest sequi opinionem probabilem, quòd Tributum impositum sit justum, & sic ab alijs exigere. Quo casu pariter necesse est violari materialiter aliquam legem, nimirum vel legem quæ jubet solvere Tributum (si illud sit justum) vel legem quæ prohibet executionem, si Tributum sit injustum. R. Imprimis non assentior dicentibus, posse subditum ex privata opinione negare Tributum exigentibus, aut fraudulenter illius solutionem declinare, per occultam quandam compensationem: non enim expedit, licere subditis opinari practicè contra leges legitimi Magistratus, & earum æquitatem ad suum iudicium vocare, ob pravos affectus erga proprium commodum. Sed hoc aliò spectat. Deinde hoc transmissio, negare quis posset, executionem putam fore injustam etiam materialiter, prout procedit à ministro, etiamsi tributum esset materialiter injustè impositum. adeo, vt etiamsi Minister constaret de materiali injustitia exactio- nis, prout procedit à suo Principali (qui tamen iudicat esse justum) adhuc posset officio executionis fungi, non obstante privatâ suâ notitiâ de iniustitia. Quemadmodum in simili docetur de Iudice, qui, non obstante privatâ notitiâ evidente (si non versetur in causâ criminali) de innocentia rei, potest eum secundum allegata &

probata consentaneè legibus condemnare, & sententiam executioni mandare.

Quodsi aliquis contrarium teneat, vel si casum ita formemus, quòd ipse Principalis imponens Tributum, teneatur ex alio capite tanquam persona privata, simile Tributum ejusdem incertitudinis solvere, tunc Respondeo & dico, non licere illi variare opinionem, ob rationem allatam, quamdiu manet eadem probabilitas; Et disparitates à quibusdam excogitatæ sunt planè nullæ, vt faciliè ostendi posset, si operæ pretium videretur. Dixi. *Quandiu manet eadem probabilitas.* Nam in omnibus istis casibus, si post practicatam vnam opinionem, postea morali certitudine constaret eam esse falsam; adeoque jam constaret de facta materiali taangressione vnus legis, vtrique liceret, immò tenereris opinionem variare, ne vtriusque legis pravaricator existas.

§. VI.

Vtrum à Doctrina tradita dentur aliqua exceptiones.

291. Existimant communiter, à regula tradita faciendas esse quasdam exceptiones quoad certa hominum genera, vt est Iudex, Medicus, Advocatus, Confessarius, Minister Sacramento- rum.

Ratio excipiendi est, quia sæpe Iudex habet iudicium, quòd pro vna parte litigantium stet minor probabilitas bonitatis causæ, & tamen non licet secundum illam probabilitatem judicare, saltem in omni casu, sed debet judicare pro illa parte, quæ causam habet probabiliorē. Hac occasione multi hoc loco instituunt disputationem, & quærun, quando liceat recensitis personis sequi opinionem minus probabilem.

292. Verùm, si res attentius consideretur, hæc non sunt exceptiones à Doctrina tradita. Aliud enim est, quòd Iudici sit probabile Jus huius partis, & aliud, quòd sit probabile, eum satisfac- turum officio suo, & tacito pacto, si adjudicet causam illi, cuius merita sunt minus probabilia suo iudicio. De primo non est quæstio, de secundo est quæstio; sed huc non pertinet. alibi enim videbimus de hoc puncto. Ratio est, quia illa prior probabilitas, v. g. quòd Testamentum minus solenne, valeat in foro conscientie, consistit in objecto speculabili, sicut supra diximus de probabilitate materie Baptismi, & vocatur à Card. de Lugo, *Probabilitas remota*, ab alijs, *probabilitas speculativa*; in qua vtrique licitum est Iudici opinari, prout voluerit: Sed non propterea sequitur, esse licitum, ferre sententiam pro causâ minus probabili. Ponamus enim quòd se Jura- mento obstrinxerit, quòd semper velit judicare pro parte, quæ sibi videtur probabilior, tunc certè nullus diceret, adhuc licere judicare pro minus probabili: ergo stante iudicio de probabilitate (sed minore) potest non esse licitum pro ea ferre

B b

sententiam

sententiam. Vniuersaliter ergo, & sine exceptione, verum est, quòd quando habetur probabilitas de licentia actus, hocipso possit formari iudicium practicum, *Licere*. Suo autem loco videbimus, an probabile sit, quòd Iudici liceat sententiam ferre pro causa minus probabili, quòd Medico liceat vti pharmaco minus probabili, cæteris paribus, quòd Advocatus possit patrocinari causa minus probabili &c.

CONTROVERSIA IV.

Utrum in dubio melior sit conditio possidentis, & unde cognoscendum, pro quo stet Possessio.

293. Circa conscientiam dubiam breviter duo dubia expedienda sunt. Dicitur autem tunc esse dubium propriè dictum, quando intellectus destitutus est sufficienti fundamento prudenter se in alterutram partem resolvendi, quamvis habeat suspicionem de vna vel altera parte, & ideo suspendit suum iudicium, neutri parti assentiendo, vocaturque *dubium negativum*.

294. Triplex huiusmodi dubium distinguui solet: Merum speculativum: Practicum vniuersale, & Practicum particulare, seu practicè practicum. Dubium purè speculativum vocatur, quando v. g. dubitas, an aqua rosacea sit materia sufficiens ad valorem baptismi, an valeat testamentum, &c. Dubium practicum vniuersale est, quando dubitas in genere, an hoc vel illud per se loquendo sit licitum, v. g. an liceat per se loquendo, eligere ad beneficium illum, qui est minus dignus altero. Dubium practicum particulare vocatur, cum dubitas, an in his circumstantiis hoc tibi liceat, v. g. an excuseris hodie à jejunio propter laborem susceptum.

295. Queritur 1. Utrum liceat operari cum dubio practicè practico. R. Negativè; quia talis non ageret ex dictamine rationis & prudentiæ, quòd actus sit licitus; hoc enim, ut supra diximus, debet esse evidens: atqui non potest formari huiusmodi iudicium evidens, nisi ad minimum sit speculativè probabile, licere, ut patet ex innato omnibus iudicio: ergo quamdiu non deponitur dubium practicè practicum, non licet operari.

296. Dixi: *quamdiu non deponitur*. Potest enim in certis circumstantiis quandoque deponi, nimirum, quando faver possessio; tunc enim potest formari reflexum iudicium evidens, licere: v. g. incipis dubitare, an fundus, quem titulo legati, vel hereditatis, vel emptionis hucusque bonà fide possedisti, sit reverà tuus, necne, (quod est dubium speculativum) item dubitas in genere, an liceat retinere rem, de qua dubitas an sit tua, necne, (quod est dubium practicum vniuersale) potes te resolvere practicè, & judicare evidenter, tibi hinc & nunc licere fundum possidere, eo vti, frui, quia jure statutum est, quòd Pos-

sessoris conditio sit melior &c. Item dubitas, an validum fuerit matrimonium, quòd bonà fide contraxisti, & dubitas etiam, an liceat accedere ad eam, de qua dubitas, an sit tua, potes te resolvere, quòd tibi liceat hinc & nunc, quia bonà fide capisti possidere, & de possessione non es dejectus. Semper ergo possessio bonæ fidei reddit jus certum de continuanda possessione, donec contrarium probetur.

297. Ratio autem, cur & natura & leges ita faveant possessori, traditur eleganter à Card. Pallavicino *disp. 9. q. 4. a. 3. n. 4.* Expedi enim, inquit, Reipublicæ, ut res permaneant eodem modo, quo manent; nam omnis mutatio affert aliquam turbationis & periculi, & ideo cæteris paribus semper leges favent possessori & consuetudini. Neque unquam eligitur aliquid in Republica, si non existimetur esse melius, quàm id, quòd antè erat in usu. Et inter cæteras causas propter hanc utilitatem, quæ oritur ex eo, quòd mutationes vitentur, inductæ sunt præscriptiones & Usucapiones: quamvis enim hæc sint etiam indutæ, ne dominia sint in incerto, tamen quid hæc incertitudo vitetur favendo potius possessori quàm alijs, est inductum tantummodo ad mutationes vitandas: quin etiam propter eandem utilitatem inductum est, ut consuetudines præscribant contra leges.

298. Queritur jam secundo, vndenim cognosci possit, quòd aliquis sit in possessione suæ libertatis contra legem, vel contra legem contra libertatem. R. 1. Si dubium est, an lex sit lata necne, vel an se ad talem casum extendat, & adhibita sufficienti diligentia (qualis in re magni momenti solet communiter adhiberi) non possis si te ab hoc dubio liberare, tunc non obligas illà lege, sed permanes in possessione libertatis, quia non probaris eà excidisse tandiu, quamdiu non est positivè probabile, quòd lex te comprehendat. Idem dicendum videtur, si prudenter dubitas, an lex sit vfu recepta: tunc enim penitende est, ac si dubitares, an aliquando caperis obligari, adeoque manes in possessione libertatis.

299. Respondetur 2. Si certus es, legem esse latam, quæ tamen ad aliquos casus v. g. magnæ necessitatis, se non extendit, & dubitas, an tu hinc & nunc verferis in tali casu & circumstantiis, tunc obligaris lege: Quia lex tunc est in possessione, à qua ut eximaris, debes exemptionem probare, v. g. si habes beneficium & dubitas, an sit adeo tenue, ut ad talem tenuitatem non extendatur obligatio recitandi Horas Canonicas, teneas eas recitare.

300. Respondetur 3. Si constitutus in circumstantiis lege non comprehensis, adeoque exemptus pro tunc à lege, incipis deinde dubitare, an redierint circumstantiæ lege comprehensæ, nec potes veritatem rescire, non obligaris, sed manes in possessione exemptionis. v. g. si die jovis noctu Cœnæ assidens, incipis dubitare, an sit duodecima, non teneris abstinere à carnibus do-

nec fiat probabile, quod sit duodecima: item si dubitas, an compleveris annum vigesimum primum, non teneris jejunare. E contra si dubites, an defacto fueris vel sis in casu exemptionis, postquam scilicet aliquid egisti, supra quod per se cadit lex, obligaris lege: v. g. si vovisti aliquid, dubitans an habueris sufficientem aetatem, teneris voto, quia contra votum certo factum nunc quam fuit in possessione libertatis. Ex hoc recte deducit Card. de Lugo, quod si noctu bibas, dubitans an sit audita duodecima, non liceat tibi sequenti die communicare, quia non potes probare, quod caperis possidere jus ad communionem post factum haustum, cum tamen cer-

tum sit, te per haustum redditum esse incapacem communionis pro aliquo die. Scio aliquos contrarium opinari, sed eorum opinionem nunquam auderem praticare.

301. Respondetur 4. Si certus es de lege lata, sed dubitas de tua satisfactione, v. g. an jam recitaveris Breviarium, teneris adhuc recitare, nisi ex certis conjecturis possis deponere dubium. Ratio est, quia obligationi certa non satisfit solutione dubia. Et in his omnibus apparet, quomodo ex Judicio speculative dubio enascatur judicium evidens de honestate vel inhonestate actus.

CAPUT V.

DE REGULA MORALITATIS REMOTA, HOC EST, DE MORALITATE OBIJECTIVA.

CONTROVERSIA I.

Quenam sit Fundamentalis Regula Morum.

§. PRIMVS.

Questionis status & difficultas proponitur.

301. **C**onveniunt DD. quod antecedenter ad actum Voluntatis, quo eligimus aliquid obiectum, v. g. elemosynam, vindictam, Restitutionem, Detractionem, Temperantiam, Furtum &c. quod, inquam, supponatur in obiecto bonitas aliqua vel malitia moralis obiectiva, quae sit prima radix moralitatis formalis, transfusa in ipsum actum, quo volumus illud obiectum, cum aduertentia ad talem bonitatem vel malitiam.

302. Porro licet praedicatum *Honesti & Inhonesti*, resideat tanquam in principali analogato in ipso actu, & non in obiecto, sicut veritas dicitur principaliter residere in actu intellectus, negari tamen non potest, in ipso obiecto existere praedicatum, propter quod temperantia potius quam fornicatio habeat, ut amari possit amore laudabili & honesto: & hoc est quod dici solet, nostros actus specificari ab obiecto. Verum quidem est, obiectum posse denominari honestum ab ipso actu honesto quo amabile est, sicut obiectum denominatur visibile a visione, sed sic male explicaretur visibilitas radicalis obiecti per ordinem ad visionem, cum visio non possit explicari, nisi per ordinem ad tale obiectum, sique committeretur circulus vitiosus, ita pariter honestas radicalis obiecti non potest explicari di-

cendo: illud esse obiectum honestum, quod est amabile amore honesto, nam ipse amor honestus debet explicari per ordinem ad obiectum honestum radicaliter. Itaque sicut in explicanda visione inveniendum est aliquid praedicatum explicabile independenter ab ordine ad visionem, nempe: *esse coloratum*: ita ad intelligendum actum honestum, debemus in obiecto reperire aliquid praedicatum explicabile, independenter ab honestate ipsius amoris, & consequenter amor honestus erit ille, qui tali modo tendit in obiectum habens tale praedicatum, & hoc praedicatum vocabitur *Moralitas obiectiva*.

304. Hoc autem praedicatum difficillime assignari, constabit ex varietate sententiarum.

§. II.

Referuntur aliorum sententia.

PRIMA declaratio Moralitatis est Corduba, Almaini, & aliorum, apud Vasquez, Honestatem vel Inhonestatem aliud non esse, quam Conformitatem vel difformitatem cum Lege divina, vel judicante, vel praecipiente.

Secunda est, Theophili Reynaudi *disp. 4. q. 1. a. 5.* Moralitatem obiectivam esse radicalem conformitatem vel difformitatem obiecti cum

B b 2

recta